DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA DE

CONCORDIA INTER DOGMA VETERUM DE CALIDO INNATO ATQUE ARCHAEUM HELMONTII.

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS

DIE XXV M. JULII A. MDCCCXLIV
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
OSCAR. HEYLERUS
GOTHANUS.

JENÆ
TYPIS BRANII.

45

VIRO
PERILLUSTRI AMPLISSIMO CELEBRATISSIMO JUVENILI CORPORIS ARDORE ARTIS PAEONIAE GLORIAM DIGNISSIMO SUO EXEMPLO FELICITER AMPLIFICANTI

D. G. KIESERO

ἀνδρὶ τά τε ἄλλα ἱκανῷ πάντα τὰ τῆς τέχνης καὶ εἰς ὅσον χρὴ μεθόδῳ τὴν ἰητρικὴν τέχνην ἀσκεῖν οὐδένος ἐπιγνῶναι δευτέρῳ.

VIRO OPTIMO NOBILISSIMO

FR. REINHARDTO

PROFESSORI IN GYMNASIO QUOD APUD HILPERTHUSANOS FLORET PRIMARIO SAGACISSIMIS LUCUBRATIONIBUS VETUS LATIUM REDOLENTIBUS CLARISSIMO AVUNCULO SUO DILECTISSIMO

PRIMUM ISTHOC SPECIMEN ACADEMICUM

D. D. D.

VEL PRISCA SOLDURIORUM LEGE

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

Summis condecoratur laudibus Artaxerxes, Persarum rex, quod quum ad regiam evectus esset dignitatem ab infimae quodam sortis homine, nihil aliud quod largiretur habente, malum punicum utraque vola haustum e proximo flumine ὑδάτιον benigno atque alacri acceptaverit vultu, plurisque offerentis religionem atque animum quam dignitatem munusculi atque pretium aestimaverit.

Ad hujus exemplum me componens chartas has jejunas oleumque redolentes amplissimo nomini Vestro offerre volui, non ut simul celebritati Vestrae nomen meum consecrem, quum tenuitatis meae probe consius levidenses has pagellas aetatem non laturas facile intelligam, nec ut ex inscriptione tantorum hominum lucem, splendorem ac patrocinium opellae meae quaeram, sed ut publicum aliquod affectus mei atque gratitudinis extaret in eos monumentum quos tacita adhuc prosecutus sum veneratione.

Accipiatis quaeso hunc libellum mola salsa litantis quum thure nequeat veluti observantiae syngrapham, et ut ad Te quod superest se convertat oratio vir perillustr. Kiesere, quum me Quinctilianus

Romanae gloria togae docuerit discipuli probi esse officium praeceptores candidissimos non minus quam ipsa amare studia, imo non parentes corporum, sed mentium esse credere, id Tibi ex animo spondeo voveoque quod habet ἀστὴρ καὶ φῶς τῆς βιωφελεστάτης ἰητρικῆς Hippocrates in jurejurando: ἡγήσασθαι τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην ἶσα γενέτῃσιν ἐμοῖσιν.

Lapides et ligna ab aliis accipio, aedificii tamen exstructio et forma tota nostra. Architectus ego sum, sed materiam varie ubique conduxi. Nec aranearum sane textus ideo melior, quia ex se fila gignunt, nec noster vilior, quia ex alienis libavimus ut apes.

(J. Lipsii Monitor. Politic. lib. I. c. 1.)

Prudentissime a Plutarcho Chaeronensi, politico et historico laudatissimo, Trajano familiari scriptum: „quodammodo philosophiam tollunt, qui rebus mirabilibus fidem derogant.“[1]) Et recte, si quid video. Quis enim (quum optima ac subtilissima quaeque rerum aut fugiant aut fallant sensum, uti Scaligero placet[2])) divinitatis aura afflatum esse neget hominem, quis mentem non agnoscat coelestem majestatem redolentem, terrenis alligatam vinculis (quod iidem testantur sublimioris eruditionis fontes Pythagoras ac Plato), mentem dico vegetam, solutam, omnia pervadentem, perennem post fata atque cineres. Num coecus aliquis ignotam illam ac vix animo perscrutabilem addubitabit vim vitae motricem, eandem sibi vindicantem quod ad aeternitatis lineas prosapiam suam traducat rerum omnium finis homo (ut habet Stagirita[3])). Cuinam causa lucis usuram acceptam refert? unde actionum vitalium fons ac scaturigo nisi ab inenodabili illo spiritu vivifico, per

1) V. Sympos. cap. 4.
2) Exercit. 23.
3) Politic. 25.

totam corporis fabricam volitante, naturae δημιούργῳ, Proteo mutabiliore.

Omni tempore tam philosophiae antistites quam artis salutaris cultores in eo convenere, nihil existere in rerum universitate, quod non intrinsecus haberet vim quandam motricem singulas corporis partes vitali praesentia irrorantem, morbos imminentes avertentem, praesentes curantem, et quamvis in diversas irent partes, eadem tamen sententia omnes usi sunt aut opinionum saltem suarum eundem effecere epilogum, quod non mirum, quum non uno contenta natura tenore, sed permutatas gaudens habere vices facies in mille repente conversa, sequentem eludat, quod habet Petronius Arbiter.

Sic ut repetitis ex veterum memoria doceamus Pythagoraei Solem [1]) deum ignemque principium cuncta movens (quam ob causam hunc Διὸς φυλακήν nuncupavere [2])) statuentes, calorem Solis effluxum, vitae velut opificem habuerunt, eidemque cor domicilium attribuerunt. [3]) Secta Eleatica, cujus caput primarium Parmenides simili modo δύο τὰς αἰτίας καὶ δύο τὰς ἀρχὰς τίθησι, θερμὸν καὶ ψυχρόν [4]) et calorem unicum reale (ὄν) nominat.

Ex Stoicorum decretis omnia quae vivunt, crescunt et augentur, igni id acceptum retulerunt insito, ut calore vel imminuto vel extincto ipsa corpora aut infirmarentur aut delerentur. [5])

---

1) Cfr. Stobaei Eclog. Phys. p. 452. et 488. Philolai de hac re sententias afferentis.

2) Aristot. de coel. II. c. 13.

3) Plutarch. decret. phys. II. c. 15; Cic. Tusc. quaest. c. XV.

4) Aristot. Metaph. I. c. 5, et Diog. Laërti IX. §. 22. Cic. Acad. Quaest. IV. c. 37.

5) Cic. de natur. deor. II. 9. et 20; Senec. Nat. quaest. V. 6. animalia igne generantur, in igne aliquod vitale est. Zenonis πῦρ τεχνικόν. Plutarch. de phys. decret. I. c. 7.

Thales materiae statuit inesse vim vitalem, quae ex aqua omnia fingeret et ab ipsa corporum natura esset diversa.[1]) Anaximander infinito rerum principio vim tribuit motricem, cui omnes rerum vicissitudines obtemperarent.[2]) Empedocles in elementis rerum amicitiam quandam atque inimicitiam sive vires attrahentes et repellentes latere voluit, quibus omnia fierent ac continerentur.[3])

Melissus corporum vicissitudines ac motus duobus principiis attribuit, quorum alterum esset activum, passivum alterum.[4])

In tali ac tanta philosophorum varietate opinionum medicos praecipua philosophorum de vi vitali placita secutos fuisse, non est quod mireris, siquidem nunquam non *ἰητρικῆς σοφίης ἀδελφὴν καὶ σύνοικον* (quam alias Tertullianus philosophiae sororem nuncupat) statuentes, ipsorum dogmatibus arva sua irrigare soliti fuerint.

Ut, ne longius abierimus, ad divum Coum descendamus, virum doctrina, judicio, facundia insignem, qui medicinam ab ipso in artem concinne redactam posteris multo absolutiorem, quam ipse acceperat, reliquit, antecedentium philosophorum de vi vitali reperimus placita[5]), quamvis in libri sui vestibulo Celsus

---

1) Cicer. de nat. deor. I. 10; Diog. Laërt. I. 24; Aristot. de anima I. 10; Brucker hist. crit. phil. T. I. 469 sq.; *Eberhardts Geschichte der Philos.*

2) *Buhles und Tiedemanns Geschichte der Philos.*

3) *Tiedemanns System des Empedocl. im Göttinger Magaz. der Wissensch. u. Litt. Jahr* 2. *St.* 4. p. 38 sq.; Diog. L. VIII. 76. p. 538; *Tennemanns Gesch. d. Phil. p.* 245.

5) Aristot. Metaph. I. c. 4; *Eberhardt* l. c. p. 90; *Brucker* l. c. p. 1163.

5) Hippocrates quum philosophiae studium aspernari dicatur, non serio id fecit, sed sophistarum unice impugnat nugacissimam ostentationem, ex extemporali speciosa ac fraudulenta garrulitate laudem quaesitantium, inque phaleratis, calami-

primum illum medendi disciplinam a sapientiae studio separasse nullus affirmare dubitet.

Hippocrates nimirum hominem duobus constitui principiis, differentibus facultate, concordibus vero usu, igne videlicet atque aqua ostendens, ignem omnia per omnia movere, aquam omnia per omnia nutrire ait.[1]) Et hoc est tritum atque in scholis veterum medicorum tantopere decantatum θερμὸν ἔμφυτον s. σύμφυτον (calidum innatum), vitae limpidissima quasi cisterna astrali manans rivulo, primis corporis animati originibus ac incrementis ingeneratum ad motus perennitatem fovendam ac temperandam.

Si de origine hujus opinionis quaeris, ex profundissima Aegyptiorum sapientia eam ortum duxisse veri haud dissimile videatur. Illi enim Orum s. mundum Osiridis et Isidis filium h. e. ignis et aquae sobolem statuentes, per metaphoram omnia in utriusque conflictu contineri arbitrati sunt. Graecos autem non minima ex Aegypto advexisse tam εἰδωλομανίαν, magica et politica quam mathematica et philosophorum dogmata non pauca veterum testantur monumenta,[2]) quid?

---

stratis et sesquipedalibus verbis, conturtulis quaestionibus linguaeque exsultantis sophismatibus rerum cardinem statuentium. Cfr. ad haec Galenum in libro optimum medicum eundem esse optimum philosophum: φιλοσοφητέον ἐστὶν ἡμῖν πρότερον, εἴπερ Ἱπποκράτου ἀληθῶς ἐσμὲν ζηλωταί. Quem nostrae autem sententiae assertores atque vindices ad rem demonstrandam usurpant locum, huc non facit, medicum nempe philosophum esse deo aequalem (Hippocrat. de decent. ornat. n. 5. p. 56. T. 1. ed. Lind.), quum quae sequantur verba, ad usum magis moralem, quam ad ipsam doctrinam pertinere videantur.

1) Hippocr. lib. I. de diaeta et lib. II. — ad hunc locum Lindani Exercitat. X. §. 253.

2) Diodor. l. I. c. 47. Jamblich. vit. Pythag. c. 4; Procli lib. I. ad Timaeum Platon.; Diog. Laërt. in Thalet., Scalig. in prolegom. ad Manilium.

quod Pythagorae, Democriti, Thaletis aliorumque de nostra re scita Aegyptiacam spirare sapientiam, uno ore affirment.

In universum autem disquirentibus, opinionem, in calore s. igne divinam gliscere scintillam, vel maxime apud veteres fuisse receptam, innumerabilia fidem faciunt testimonia. [1]) In Ammonis templo lucernam arsisse inextinctam testis est Plutarchus, [2]) apud Indos Brachmanes ignem caelitus lapsum sempiternis foculis custodiri Ammianus [3]) perhibet. Simili modo Persas ignem perpetuum veluti deorum maximum fuisse veneratos affert Procopius. [4]) Apud Romanos lucentes semper in aris Vestae flammas assidua virginum cura custodiebat. Inde ignis ac caloris cognomina: veluti *πνευματικοῦ, αἰωνίου, ἀθανάτου, ἀΰλου, οὐρανίου, ἀφθάρτου, ἀεννάου, ἀσωμάτου, ἀγεννήτου.*

Nec philosophi vulgi religionem respuentes similes de calore atque igne fovere sententias detrectavere, quod supra paucis demonstrare conati sumus. Hippocrates autem quum ignem s. calorem vitae principium movens statuat ex Heracliti fontibus arva sua irrigasse videtur, ignem rerum motorem censentis, omnia penetrantem, augentem, conservantem, concitantem. [5])

Verum enim vero quam a philosophis acceperat Hippocrates opinionem de facultate corporum moderatrice veluti Lar domesticus pro aris ac focis suis di-

---

1) Adeas Plutarch., Dionys. Halic., Diodor., Lips. de Vesta libros.

2) In libro de defect. oraculor.

3) Lib. XXIII. hist.

4) Lib. II. bell. pers.

5) Aristot. Metaph. I. c. 3; Diog. Laërt. IX. 7, nisi Archelaum et Hipponem secutus fuerit, sectae Ionicae adstipulatores, *θερμὸν καὶ ψυχρὸν δύο αἰτίας γενέσεως* statuentes, cfr. Cic. nat. quaest. l. III. c. 28; Brucker in hist. crit. phil. T. I. p. 1227; Matthiae in prolegem. ad Comment. in Hippocr. libr. de decent. ornat. p. 33.

micante paulo immutatam nobis tradit, quum non parum ejus denominationibus ludat. Quod πῦρ itaque sive θερμὸν ἔμφυτον nuncupat, interdum φύσις ac τὸ θεῖον audit,[1]) quid? quod si Goelicio[2]) fides habenda, calidum innatum idem sit atque anima rationalis.

Revocata ad calculum Coi nostri de calido sententia nihil aliud esse videtur, quam Parca filum vitae mox abrumpens, mox in longum ducens, divinae aurae particula. Et cor est focum Vestae, in quo custos imperii flamma vigilat, in hoc continuo sacra fomes micat, et tamdiu civitas incolumis, quamdiu inviolatum illud Palladium, igne Vestali vel turbato vel extincto, ruina minitatur corporis. Ut mundum periturum affirmat Plato in Theaeteto, si momento sol quiesceret, ita si cor, microcosmus quasi in macrocosmo corporis, motu suo prohiberetur, protinus humana interiret fabrica.

Qui excepere Hippocratem philosophi ac medici, eandem prorsus tuentur de vi vitali sententiam. Verbi gratia Plato in Timaeo animantia omnia vitam traducere in igne et spiritu affirmat, inque eo punctum mihi tulisse videtur, quod potionem suam gratae dulcedinis mistione attemperans, convivarumque se palatis accomodans, quaecunque minus veritati responderent suavi oris eloquio compensare studeret, ut legentium sitim acrimonia rerum incognitarum salitam hodie quoque aut excitet aut verborum

---

1) Seelmatter de natura Hippocratis, Argentor. 1721, cfr. lib. II. de sympt. caus. et Comment. V. in libr. VI. Epid. Hippocr. lib. 3, de Cris. c. 8. Aphorism. XV. lib. I. et XXII. lib. V, Hippocr. περὶ τροφῆς p. 382. 34.

2) In histor. med. univ. period. V. §. 71; cfr. ejusd. orat. inaug. pro Hipp. ab Atheism. cr. absolv. Halae 1713. 4. p. 21—23, Schmidtius in Theolog. Hippocr. p. 23; Gundlingius in Otiis suis deum, calidum innatum, animam ac naturam synonyma esse autumantur; de divino Hippocratis cfr. Sebizii integrum de hac re librum.

melligine inescet. Aristoteles, Platonis discipulus, quamvis alioquin praeceptori suo recalcitret, hac in doctrina fidum se praestitit discipulum vestigioque ejusdem in disciplina de calore insito presse legere studuit, quod paulo infra docebimus. Nobiscum communicavit sua de calido dogmata in libro de partibus animantium.

Jam ad Cl. Galenum transeamus. Qui quum omnes philosophorum sectas lustrasset, Stoicam, Platonicam, Epicuraeam ac Peripateticam edoctus disciplinam, quae durius jecerat medicinae semina divus senex, hic plenis iisque puris philosophiae variae fontibus irrigavit. Libros Hippocraticos tineis ac blattis colluctantes situque squalentes ad superas protraxit auras eorumque opes eruere, manca supplere, tollere superflua, enodare dubia, nude proposita firmare, obscura explicare aggressus est. Num itaque aliter fieri potuit, quin de limpidissimis illius fontibus propinans non simul eadem de vitae principio amplecteretur placita? Hunc reliqua omnis Graecorum turba secuta, quae chordam semper eandem stridulam tangens, mutatis nominibus eandem nunquam non fabulam narrat. Inde Erasistrati πνεῦμα ζωτικόν in corde residens, vegetum, alens et concitans omnia [1]), inde Athenaei natura insita [2]) et Aretaei spiritus s. virtus vitalis [3]), hinc turbidi Oribasii (Galenicae simiae), Aetii [4]), Alexandri Tralliani [5]), Palladii, Actuarii rivuli, qui eandem semper cantilenam decantant, aut Galeni et Aristotelis dicta oraculorum instar su-

---

1) Galen. Introduct. p. 373. Osterhausen disp. de sect. pneum. 1791.

2) Galen. de element. I. p. 52.

3) Galen. de curat. morb. diut. I. 4. p. 121.

4) Aet. Tetrab. II. Sect. I. c. 8. p. 86.

5) Alex. Trall. Therapeut. I, 11, p. 31. et Lib. VII, 13, p. 397.

spicientes, aut suavia Platonicorum somnia aut austera Stoae decreta retinentes.

Nec posteris saeculis proh dolor! meliorem experta est fortunam disciplina salutaris. Medio enim aevo quum omnes paene artes ingenuae fatali quadam lege duris Arabum conclusae tenerentur carceribus, nostra quoque ars diram eorum tyrannidem subire coacta est. Solos Avenzoares, Avicennas, Averroës pulpita cathedraeque personabant. Iidem multa ad Hippocraticam libellam examinantes, plura ad Galenicam atque Aristotelicam trutinam expendentes easdem de vi vitali sententias fovent [1]). Nec in eo acquiescentes quod ceu pedarii senatores in aliorum sententias irent, nec eo contenti ut eheu! puritatem Graeci Latinique sermonis candorem exosi Arabico loquentes introducerent Musas idiomate, Neoplatonismo, foeda Academiae veteris sobole seducti nova opinionum portenta de spiritibus adventitiis evomere non erubuere.

Nec laetior nostrae arti lux affulsit per Arabistas, ex Arabum sterquilinio gemmas legentes imperiosamque in Aesculapii prolem affectantes dictaturam. Qui quidem obstetricante scholastica philosophia, tetra Peripatetieismi progenie, contortulis abundante quaestionibus, verborum tricis futilibus, minutulis ac superbientibus subtilitatibus, quindecimviros ad explicandum exigentibus, illotis quod ajunt manibus in medicinam irruere. At piget vana eorum de vi vitali phantasmata multis exponere verbis [2]).

---

1) De Johannitii spiritu vitali, corde emanante, nutritivo, immutativo, generativo, expulsivo cfr. Serapion Therapeut. lib. I. Aph. 23. 24, p. 5, Ebn Sina Cantic. P. 1, Tract. 1. p. 189 in calc. edit. Averroës Colliget; Averroës Collig. lib. III. 3. p. 34. a; Mesue c. Exposit. Mundini super canones universales Venet. 1508 f. 4. a et b; Avenzoar Theisir L. I. Tractat. 9. c. 19. p. 13.

2) Adeat qui horum deliramenta scire cupiat: Gilberti

In tam miseranda artis, languido peripateticismi veterno stertentis, conditione ecce prodiere qui Arabum nugas et tacitis cuniculis et aperto Marte debellantes exilioque mulctantes (unde postliminio nunquam rediere) Musas, ut ait Petrus Hotten, in pristinas suas sedes reduxere, et quemadmodum fluvios interrupto cursu intra terrae viscera absorptos post varios circuitus et mille viarum errores, rursus erumpentes consuetos repetere videmus alveos, sic elegantia doctrinarum studia. Agmen duxerunt inque bello tam sacro primipili fuerunt Gesneri, Fuchsii, Guinteri, Vesalii, Erasti, Fernelii, Langii, Schegkii, Zuingeri, Cratones, Vallesii, Vegae, Loniceri, Faloppii, Valleriolae, Jouberti alii, quorum nomina omnibus lippis ac tonsoribus nota. Qui quum Galeno ac Aristoteli medicinae quasi *ἡγεμονίαν* vindicarent eorum de vitali principio accesserunt placitis, ac dogmata de calido innato mox prolixioribus commentariis, mox obiter in libris data occasione pertractaverunt. Hinc innumerabiles paene de hac materia disceptationes, num calor sit insitus an adscititius (quod Praxagorae ac Philotimo jam pridem placuerat), num sit humidum aliquod primigenium, cujus benignitate calor in corde spirans tanquam nectare vivifico sustineretur (vitale enim principium humido primigenio radicitus inhaerere voluerunt, cujus primum stamen in arvum matris genitale traductum fatalem istam intra se fovet necessitatem), num

---

Anglici compend. medicinae. Lugdun. 1510. p. 89. De virtute vitali augmentativa, nutritiva etc.: Petr. Aponensis Conciliator. differentiar. enucleatum opera Greg. Horstii. Giess. 1615. Exercit. 2. n. 55. 57. 58. p. 42. sq. Arnoldi de Villa nova Opera edit. per Gualt. Ruff in Breviar. Pract. T. I. L. III. 3. p. 351. a. Ant. Cermisoni virtus attractiva, digestiva, retentiva in Consiliis suis. Ven. s. a. fol. 43. b. et Marsilii Ficini de vita libr. III. Basil. 1529, in de vita producenda L. II. 2. p. 52.

sit ignis urens, mordax et culinaris, an aëreum, elementare, coeleste quid (cfr. Holstii libellum de flammula cordis) et alia hujusmodi.

At dum alteri unicum Galenum atque Aristotelem sequi studuerunt illosque tanti fecerunt ut e. gr. Alexand. Massaria „malle se cum Galeno errare quam cum aliis sapere" profiteri non dubitaret, ac Vesalius a Caesaris aula familiaque excluderetur, quod adversus Galenum scripsisset, alteri reipublicae medicae quasi cives seditiosi ac turbatores existentes, omnem movere lapidem studuerunt ut doctrinam tot saeculorum consensu confirmatam destruerent, decussoque Galeni jugo artem in libertatem assererent. Ut alios omittam Theophrast. Paracelsus rabie prorumpens in theatrum medicum, monstrum in perniciem elegantiorum Musarum natum [1]), omnia quae veteres saperent excrementa veluti ac faeces rejecit. Sed quid exspectandum a Mysteriarcha, qui Logicam ac rationem proscripserit et medico quasi noxiam, lumenque naturae impedientem spreverit [2]), qui ex anno vicesimo ita ebrietati indulserit ut totas plenas mensas rusticos propinando provocare bibendoque superare ausus digitoque immisso a crapula se liberare coactus fuerit [3]), qui propter peregrinationes, ob defectum librorum (ipse de se scribit, bibliothecam suam non sex paginas continere, nec intra decennium se librum legisse) ac peritia lingua-

1) Hier. Jordanus de morb. dir. c. 5. p. 25.

2) Vide H. Haeseri, exactissimo ingenio viri, historiae artis nostrae Promi Condi, elegantissimum ac sagacissimum idem scriptum, quod extat in Ephemer. suis cui nomen „*Archiv. f. d. ges. Mediz.*": *Mit welchem Rechte wird Parac. der Reformator der Medizin genannt?* totum huc faciens Parac. libr. de caduc. Matric. §. 4.

3) Vid. Oporinum in epistol. ad Solenandrum et Wierum, Th. Erasti disp. c. Parac. T. I p. 239, Joh. Freitagii Noct. med. p. 110 sqq.

rum destitutus Musis austerioribus vix indulserit, ut omittam vanas Thessali ἰατρονίκου de se ostentationes[1]).

Ut ad hujus de vi vitali scita transeamus, mirum quantum concordat Archaeus ejusdem cum Basilii Valentini Archaeo, vi omnia aminantia intus incitante. Sed quum suppresso Basilii nomine totam ejus de hac re doctrinam effuderit nec in minimis aliis conformem cum eo ac consentientem habeat opinionem (ubi nempe desiit Basilius, ibi incipit Paracelsus[2])), scrinia ejus compilasse Cacophrastum a vero non abhorreat, quod non mirum quum praeterea Crato (in praefat. ad Scaliger. de subtil. exerc.) Theophrastum monachi cujusdam scripta ante 200 annos degentis suffuratum ac pro suis vendidisse quae iste tanquam in Eleusinis sacris mussitaverit, affirmet. Ita nihil novi attulit et si quid novi dixisse videatur, nominis peregrinitate id affectavit[3]).

Archaeus Paracelso est genius, concoctionis in ventriculo praeses, venenum ab alimento sejungens (qua in re cum calido innato consentire videtur quod, uti Aristoteli[4]) placet, idem concoctionem in visceri-

---

1) Parac. lib. de Tum. et de peste; Paragr. alias cens. *Henning. Scheunemannus* in hydromant. paracel. c. 1.

2) Cfr. W. Wedel in Exerc. med. phil. cont. II Decad. I. Exercit. IX. de Bas. Val.

3) *Wolf. Haeferus* in praef. ad Herc. medicum, *Scalig.* lib. I de plantis, *Sennertus* de voce Archaei in libro de cons. et diss. chymic. c. Galen. et Aristot. c. 5. Quam verum sit, nihil novi procreasse Paracelsum, ostendit celebratissima ejus placita apud veteres jam reperiri ut ecce „omnia in omnibus haberi" (Anaxagoreae scholae commentum), πολυθρύλλητον illud, sed a Paracelso male intellectum de homine microcosmo universi exemplari et epitome jam apud Homerum, Philonem, Platonem, Macrobium, J. Fimicum invenies; physiatria ejusdem Hippocratica est.

4) Lib. III de respir. c. 8.

bus rite peragens, purum a venenato segregat, quid novi ergo in informi hoc male feriati cerebri monstro?), qui sumta resolvit, miscet, loco suo aptat, bona recipit, inutilia rejicit, cor et vasa stimulat varieque dirigit, pulmones extendit ac relaxat, hiantia resarcit, amissa redintegrat.

At si in naturam hujus Archaei inquiras, Bombastum ipsam eam nesciisse veritati non incongruum. Nullibi enim invenies quidnam tandem sit, num idem cum quinta essentia an diversum quidpiam, sitne corporeum an corpore carens, num varia ſpecie pro varietate corporum nec ne! Profecto Paracelse, acclamandum cum Helemontio [1]), postquam operosa et ridicula indagine magnas struxisti fabulus, te ridiculum posteritati exhibuisti [2]).

Similem ac Paracelsus at subtiliorem quodammodo magisque excultam doctrinam de Archaeo Helmontius assumpsit. Idem enim in corporibus insitam aliquam esse vim, quae vitam construeret ac regeret, quae materiam cieret, agitaret, concitaret et vicissim excitaretur extrinsecus, quae corpus varie moveret et moveri a rebus excitantibus posset, quae vitam et sanitatem conservaret, res nocentes vel arceret, vel minueret, sine qua medicus in sanandis morbis nihil efficere posset, *εἴςπνοον καὶ ἔκπνοον ὅλον τὸ σῶμα*, et cujus veluti *τῆς Φύσεως ὑπηρέτου* omnis in eo tantum versaret cura, ut illius vis motum, nimium forte et incitatiorem tristemque corpori minitantem destructionem coërceret ac supprimeret, languidiorem susci-

---

1) Helmont. scab. et ulcera scholarum p. 327.

2) Apposite in nostrum sensum Cous in libro de veteri medicina c. 5.: Οὐ Φημὶ δὴ διὰ τοῦτο δεῖν τὴν τέχνην ὡς οὐχ ἐοῦσαν οὐδὲ καλῶς ζητουμένην τὴν ἀρχαίην ἀποβάλλεσθαι εἰ μὴ ἔχει περὶ πάντα ἀκριβίην, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ ἀτρεκεστάτου ὁμοῦ δύνασθαι ἥκειν λογισμῷ ἐκ πολλῆς ἀγνωσίης, θαυμάζειν τὰ ἐξευρημένα.

taret et adjuvaret, ita ut dummodo varia naturae molimina apte cognoscerentur appositeque administrarentur, obsequiosissimam facile ipsam deprehenderet medicus.

Morbus non nisi a turbato vel debilitato Archaeo exoriri, dum vel inordinatorum affectuum procellis concussus iratus saeviret, tumultuaretur et corpore contra saeviente humana fabrica procelloso veluti turbine jactaretur, non aliter ac navis in irato mari, aut ex assumpto et humano corpori adverso alimento inquinaretur, vel denique ex peculiari et ignoto, adeoque incredibili ejus cum corporibus coelestibus infausto aspectu impeditis, consensu langueret, officiique sui immemor minus strenue in domicilio suo conservando navaret operam, destitutus scilicet a pabulo, quod ex Astrorum spirituali sibique simillimo affluvio singulis momentis attrahere soleret.

Splen et cardia (conspirationem hanc duumviratum nominat Helm.) Archaei sedes est, qui cum immediatum sit aminae sensitivae organum actiones vitales animae in stomacho residentis [1]) determinat. Minister est animal, radio illi vitali ubivis velut praesens adstans [2]). Praeter Archaeum influum in cardia dominantem alios, quos insitos Helmontius nuncupavit, statuit, singulis corporis partibus inhaerentes, Cadmaeorumque fratrum instar perpetuam pugnam, contrariamque actionem molientes. Regimen hoc est veluti monarchicum in quo omnia quidem pendeant a monarcha (Archaeo influo), verum ipse non agat omnia, sed quaedam per ministros (Arch. insitos) [3]).

---

1) Helmont. sed. animae p. 292. 27.

2) L. c. 290. 12.

3) Cfr. Casp. Hoffmanni Instit. med. l. 2 in aberration. ad caput 50. Similem habet Fernelius opinionem, quam vero Argenterius impugnat in Comment. ad Galen. p. 156.

Haec in universum de Archaeo placita. At si Celsi praeceptum[1]) sequamur: oportet neque recentiores viros in his fraudare, quae vel repererunt, vel recte secuti sunt, contra ea, quae apud antiquiores aliquos posita sunt auctoribus suis reddere. Helmontius enim quum ubique quidquid veterum scholas redoleat, Aristotelem, Galenum, eorumque sectatores arrodat et allatret stylumque suum in ridiculas (ut loquitur) eorum imposturas atque ampullas stringat, in non paucis cum illis consentire, est quod mireris, ita ut noster per ignem philosophus aut a limine tantum salutasse veterum scripta primoribusque degustasse labiis, aut vano quodam et ambitioso fastu Galeni ac Stagiritae opiniones pro suis exhibuisse videatur.

Quid? annon Athenaeus Attalensis similem jam olim Helmontiano Archaeo spiritum fingere solebat? Nimirum si Galeno[2]) fides habenda, singulis ille partibus spiritum quendam ἑκτικόν a Stoicis acceptum inesse cunta penetrantem, omnia continentem ac moderantem voluit. Quo quidem spiritu unice tum naturalia consistere ac gubernari, tum morbos cunctos hoc prius offenso ac effervescente excitari ipsi placuit. Quid aliud est Archigenis ae Stoicorum πνεῦμα cuilibet parti συνεκτικόν.[3]) Nonne ipsis plantis ac lapidibus spiritum attribuerunt veluti Helmontius Archaeum? Parum sane discriminis nihilque distinctioris conceptus Helmontius Athenaei dogmati videtur accedere de aqua passivo tanquam omnium rerum principio et Archaeo s. fermento seminibus rerum instructo, prin-

1) Lib. II. de medic. c. 14.

2) Vid. auctor. libr. εἰςαγωγῆς sive Galenus sive Herodotus fuerit, et Galen. lib. I. de element. c. 6.

3) Vid. Achill. Statium ad Aratum, H. Conringii Hermetic. med. lib. II. c. 9, Schellhammeri adnotat. ad Conring. introd. ad art. med. c. II. 15.

cipio activo, a materia et forma Peripateticorum ita ut ex Helmont. complex. atque mist. element. figment. n. 3. appareat, quae per materiam et formam explicantur a Scholasticis ab ipso chemicis exemplis illustrari novisque nominibus[1]) aquae et fermenti describi.

Si architecto unicuique parti proprio intelligentiam quandam attribuat (in libris caussae et initia naturalium, Archaeus faber etc.); quid aliud statuit quam Lactantius, cui in uno corpore multas esse mentes placuerit, quoniam multa et varia essent ministeria membrorum; quid est aliud ille Archaeus in universi mole vigens, quam recocta ex veteri Platonis philosophia de spiritu mundi seu universali aut Zenonis de πυρὶ τεχνικῷ crambe, nova larva induta. Ad haec quum Plato praeter animam corporeis vinculis exutam terrestrique labe sejunctam, aeternam et immortalem, mortalem statuat in corpore a perturbationibus agitatam, ad motus ferventiores proclivem, iracundiae participem, inter umbilicum ac diaphragma sedem sortitam[2]) ibique bestiae effrenatae ad instar praesepi alligatam, num aliud quippiam sentit ac Helmontius eandem sedem Archaeo suo assignans easdemque qualitates?

Attamen hoc veluti praeludio leviorisque armaturae excursione via munienda est ad ipsam comparationem, quam nostro Marte comparavimus nempe Archaei Helmontis cum calido innato. Argumentis

---

1) Bene nimirum Lucretius:

Semper enim stolidi magis admirantur, amantque
Inversis, quae sub verbis latitantia cernunt.

2) Num fortassis Plato jam cogitatione percepit maximum centri diaphragmatis phrenici momentum, quam concitatiores animi affectum primum ibi sentiantur — sententiam cui proximis abhinc temporibus accesserunt Lacaze, Bordeu, Robert.

enim demonstrare nobis in animo est Helmontium, quamvis de calore doctrinam scholarum passivam deceptionem atque ignorantiam adpellet atque in integro adeo de humido radicali libello explodat non in tantillo discrepare a doctrina de insito calore.

Archaeus idem est, quod ἀρχήγονον Galeni (sc. θερμόν, libr. advers. Lycum) primogenitum, innatum, ex quo quae gignuntur primam sortiuntur generationem, utrumque ab ipso protinus vitae et generationis initio, viventibus cunctis inseri, ut et vitam inchoet, inchoatam foveat ac sustentet communis est et Helmontii et adversariorum consensus, cfr. Galen. libr. de Tremor.

Archaeus est animae janitor[1]), diversorium animae sensitivae[2]). Simili modo Plato in Phaedro calidum animae currum vocabat, quo in mundo aethereo anima vehitur, Galenus lib. 3. de loc. affect. c. 5: calidum animae instrumentum, et idem de util. respir. c. 5. et de simpl. facult. c. 9. Aristot. de respirat. cap. XXIX. In libr. de partib. animal. lib. II. c. VII. Calidum maxime inservit animae operibus.

Archaeus functionum executor (Helmont. de virt. magn. verbor. ac rerum, pluries), ab Archaeo omnes effectus sunt in corpore vivo (ibid.), verum intus agendarum solus est rector (Tumul. pestis). Calor nativus est illa natura, quae solida corpora regit (Galen. lib. IV. aphor. Comment. 37), calor est facultas gubernans corpora nostra (Lib. I. Galen. aphorism. comm. 15). Naturalium operum est autor (Galen. lib. I. aphorism. comm. 15). Ad haec cfr. Galen. lib. 8 de plac. Hipp. et Platon. lib. III. de sympt. caus. c. 3. et 4, lib. II. de natur. facult. c. 8, lib. VI. comment. apho-

---

1) Helmont. in libr. confirmatur morbor. sed. in anima sensitiv.

2) Helmont. de febr. c. XVI.

rism. 12, lib. III. de sympt. caus. c. 3, Aristot. II. de anima: coctionem operatur calidum, idem de juvent. et senect. libr. c. 4.

Archaei passiones ac perturbationes morborum ortus (Helm. de virt. magna verb. ac rer.). Archaeus suas patitur perturbationes (de febr. c. XVI. et Tumul. pest. 229. c. 2.) excandescit (ib. c. 13), Archaeus morborum autor (de Lithiasi I, 1, et in Formar. ortu 40, 18). Caloris innati intro ac foras delatio multas perturbationes passionesque sequitur, nempe iram, metum, verecundiam, laetitiam etc. (Galen. lib. 2. de sympt. caus.)

Archaeus est primum vivens, ultimum moriens (in Tumulo pestis 245. c. 1.) ad verbum: Aristotel. de gener. animal. Lib. II. c. VI. et Lib. II. de juventut. et senect. c. III. Galen. de Hippocr. et Plat. decret. lib. III. c. 8. Plin. hist. natur. L. X. c. 53. Lib. XI. c. 37. Cor primum nascentibus formari, et emori novissime, ceteris corruptis vitalitas in corde durat. Cic. de natur. deor. Lib. II. c. IX.

Excitari solet et Archaeus et calor nativus a variis stimulis pro ipsius stimuli varietate. Archaeo arrident odorata, pharmaca in prima sua facie insipida horrorem atque abominationem Archaei faciunt (in libr. Potest. medic.). Archaeus reprimitur verbis imperativis (in libr. de virtut. magn. verb. ac rerum), ad haec cfr. libr. magnum oportet. Galenus lib. III. de temp. calor animantium a medicamentis calidis augetur, ut ignis a ligno; in Comment. ad Aph. Hippocr.: calor nativus exercitiis augetur, id. in libro de morb. caussis: calor nativus intenditur balneis calidis, cibis etc.

Archaeus ens coelicum in se habet (Helm. Vita brevis p. 695) et inest semini analogon, quod astris totique universo quadantenus respondet. Calidum innatum lumen esse coeleste ipse Helmontius expresse ait et saepe quoque vocat „solare“ (in tract. blas.

human., et in Sole Tabernacul.) Archaeus intelligentiam quandam habet. Hippocrat. libr. de carnibus. Calidum innatum immortale quid est, vidit, audit sentitque omnia, [1]) in eundem sensum locus a Galeno ex Hippocrate citatus Lib. IX de Plat. Hippocr. et Platon. decret. et Hippocrates lib. de arte p. 11, adde Hippocr. de diaeta: calidissimus ignis omnia obit sine strepitu, cum visu et tactu. In hoc anima, mens, prudentia, auctio, motio demissio etc.

Archaeus in semine est, ante foecundationem. Seminum massa in se recepit auram corporalem, Vulcanum, quem Archaeum nomino (in formar. ortu 137. 62). Galen. lib. advers. Lyc. c. 11: Universis nobis inest calidum elementum, innatum a prima origine quam sortiti ex semine ac sanguine menstruo.

Quot corporis partes, tot Archaei, ac caloris genera. Hippoc. de princip. VII. p. 116. T. 1. ed. Lind.: Calidum plurimum in venis ac corde est, cor intra hominum membrorum calidissimum. Ibid. c. VI. p. 115: Plus habet calidi arteria quam vena cava. Galen. de Temp. l. II. c. 3. calidissimam omnium partium sinum laevum pronunciat, idem affirmat in libr. de inaequali temper. c. 4. Galen. de sem. l. c. 3. Sanguinem venosum ex sese tepidum, arteriosum vehementer esse calidum, hepar natura tepere, cor calere fortiter ait.

---

1) Hipp. lib. praenot. init p. 447, Epid. p. 662, apud Platon. Lachet. p. 254, Gataker. ad Marc. Anton. lib. VII. p. 224, Hemsterhus. ad Lucian. Somn. T. I, p. 15., Dieter. Iatr. Hippocr. Quum intelligentiam quandam attribuat Archaeo suo Helmontius, quem alias tamen meram habet animae famulam ac ministram, ad ejusdem nutum pendentem, nonne sibi contradicit, mox formatricem virtutem per intellectum agere asserens, mox animae primas deferens Archaeum rationis atque intellectus expertem ac subdiditium esse hariolans? Sed quid quaeso tum anima est?

Quemadmodum Hippocrati medicus naturae id est calidi est minister, nec sanatur morbus μὴ συνεργούσης φύσεως καὶ φυσικῆς δυνάμεως (Galen.), sic Helmontius quoque exigit, ut medicus Archaei tantum motus dirigat Fabiique Cunctatoris saepius exemplum imitetur rem cunctando restituentis. Quare nulla medicina interdum optima (Helmont. in Catarrh. deliram. p. 413. 11, Hippocr. lib. de artic. p. 791. T. I. ed. Lind. ἀγαθὸν ἐνιότε φάρμακον τὸ μηδὲν φέρειν φάρμακον, plus enim interdum quiete quam movendo proficiunt medici verba sunt Liv. lib. XXII. c. 18.

Plura adhuc iu promptu sunt quae in nostrum finem afferri possent, attamen Musa nostra aurem vellit vereorque ne plures sint futuri, qui de hoc genere me quod nimium multa scripserim reprehendant, quam quod reliquerim quaedam accusent ut habet Varro de ling. lat. lib. VI. p. 83.

Epicrisis.

Quod tritum est Comicorum effatum, nihil esse jam dictum, quod non dictum sit prius, ex nostris etiam schedulis apparet, ita ut vix jam aliquis novus sit trames, per quem non antea incesserint proavi; ἡμέρα γάρ κλίνει τε κἀνάγει πάλιν ἅπαντά τ' ἀνθρώπεια, ῥύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτει, ut aeque vere atque eleganter canit Sophocles in Ajace flagellifero. Non mirum itaque, si nostris quoque diebus ars salutaris eandem induerit faciem atque aliquot abhinc saeculis, si importuna eadem naturae explicandae methodus irruat, quam dudum jam ad Anticyras relegavimus. Proh deum hominumque fidem! Quaenam quaeso artis nostrae posteritas si hodierni per ignem philosophi ac Spagyrici naturam metiantur destillando, irrigando, siccando, calcinaudo, resolvendo, effervescendo, praecipitando, si idem garriant quod jam olim fumosi Vulcani filii, fuligine atri, illuvie foedati,

quorum tota philosophia in carbonum tractatione ex furnis spondens portentosa sua miracula. Exulet detestabilis illa philosophia corpora viventium organica pro meris machinis statuens, per solam organorum dispositionem motas, horologii in modum per dispositionem adpensorum ponderum ac rotularum. Exterminetur ad ultimos Garamantes illorum philosophia qui ad sensus veluti ad sacram anchoram confugientes, *οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι, ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ ταῖν χεροῖν λαβέσθαι*, nihil aliud esse putant (ut est apud Platonem in Theaet.) nisi illud, quod manibus palpare et prehendere possunt. Num nostri fortassis aevi Herophili ac Erasistrati audax et minax ferrum in palpitantia adhuc praecordia, visceraque eheu calentia immittentes, profanisque oculis nimis curiose introspicientes clausa naturae adyta recludere arbitrantur? Quodnam effabitur oraculum [1]) natura dira carnificina ad saevissimam lenienam rapta, compuncta, excoriata, lacerata, vellicata, contorta, adamantino fere pectore ad ultimum supplicium excruciata?

Ah misera extremum cui mortis munus iniquae
Eripitur, non posse mori.

Aris et focis nostrae artis extorris, exlex ac perduellis sit scurrilis illorum medicina, qui St. Antonii et Alexis fratrum ac Beguinarum instar, precum ardentissimarum vi, mirabili signorum vi ac sacramentorum efficacia anili reliquiarum superstitione ineptisque aquae benedictae nugis morborum catervam profligare arbitrantur, ne foedum redeat ambarvalium ac lectisterniorum saeculum, clavique figendi caerimonia.

At reviviscat philosophia in sobria naturae con-

---

1) Cfr. excell. Grabau recens. de Lexic. physiol. a Wagnero foras emisso in Ephemerid. Jenens. 1843 mens. Decembr. veram ac ingeniose scriptam.

templatione posita, veluti lapis Lydius aurum a plumbo, aera lupinis, verum a falso discernens, faxint Superi ut ab orco excitata in arte Apollinea agat radices, quod felix faustum fortunatumque sit! Et verbis foribus Academiae platonicae inscriptis usus, *μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω* in discipiinam salutarem in portum cogo, disserendique vela contraho.

THESES.

I.

Verba Hippocratis (de Flatib., ac de Natura homin.) ἰητρική ἐστιν πρόςθεσις τῶν ἐλλειπόντων, ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων totum continent Brunonis systema.

II.

Qui pallet: aut amat, aut studet, aut aegrotat.

III.

Vermes in intestinis nihil nocent, plus juvant.

IIII.

Exceptis grammaticis, nihil medicis stultius (Ulpian. apud Athenaeum XXV, c. 1).

V.

Medicus garrulus aegroto novus morbus. (Anthol. gr. Epigr. Lib. II.)

VI.

Vomitus vomitu curatur.

VII.

Sanguinis circulus divo jam Hippocrati fuit notus.

VIII.

Ubi tres medici, duo certe athei.

IX.

Pedilavia calida sanguinem cient, vix revellunt.

X.

Absurda vulgi et inprimis muliercularum est opinio, medicum adhuc in coelibatu degentem non perfecte posse cognoscere et curare morbos muliebres.

XI.

Variolarum pustulis aeque ac pustulis scabiosis minutissimos inesse vermiculos mihi persuasum.